



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCXXVIII. Discordes fratres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

effugere fabulas novercarum, voluit adversus casus etiam præparare: ¹ illam nihil in domo habere, propter quod privignis invideret. Quid si fecit hoc non modo novercæ, ² sed etiam uxoris optimo animo? Plenam invenerat domum, plenum testamentum. Quid mihi inquit: cum partu erat? dederat mihi fortuna juvenes: neque maritus ejus ætatis est, ut concupiscere novos liberos possit, ne fraternitatis quidem eadem jura futura erant, inter tam dissonantes tamque discordes. At nunc expellitur: & quoniam bona fuit noverca, nec liberos habitura est, nec virum.

CCCXXVIII.

Discordes fratres.

Filii familiæ duo adolescentes fratres dissidebant. juncta erant eorum cubicula. Quodam tempore audito tumultu in interiore parte domus, venit pater in eum locum, in quo clamor erat, invenit alterum ex filiis occisum. Cubicularium ejus torfit, & occidit in tormentis: quid compererit, incertum est. Interrogavit illum filius quid comperisset: non indicantem accusavit dementiæ. Absolutus est pater. juvenis parricidii accusatur, adest illi & pater.

S E R M O.

Rei persona ante omnia infirmatur, & necesse est nos ab ea incipere. Prius ergo sumimus id quod prius videtur esse in persona. Occidisse dicitur fratrem, hoc etiam si non possumus efficere, ut in rerum natura non esse videatur, eo tamen perducemus, ut non facile credatur.

D E C L A M A T I O.

Objicitur reo discordia cum fratre, & hoc priusquam ad causas pertineat occidendi, ad crimina personæ admittimus. ³ Discordia cum patre. Ante omnia, commu-
ne ma-

¹ Illam nihil in domo habere.] *Ærodius, item in domo. Scribe: Voluit effugere fabulas novercarum: voluit adversus casus se jam præparare: voluit nihil in domo habere propter quod privignis invideret. Idem.*

² Sed etiam uxoris optimo animo.] *Potius, optime. Idem.*

³ Discordia cum patre. Ante omnia.] *Ærodius: cum fratre. Haud dubie recte. Dein, commune maledictum est omnibus qui accusantur. Sed penes. Hoc probare non possum. Discordia, inquit, est commune maledictum: hoc est, quo tam læditur mortuus quam vivus, quando non constat, penes utrum fuerit culpa. Sic supra*

ne maledictum est cum eo qui vindicatur, & penes quem culpa fuerit, magis potest pater scire quàm accusator. Asuperiorem esse autem adversus suos, interim & fiducia argumentum est: & hoc aded non valet ad probationem tanti criminis ut contra sit, jam enim transimus ad causas. Dicitur occidisse fratrem inimicum, non dico illa, Non protinus, si causæ sceleris sint, scelus quoque constat. Utinam enim ita composita esset natura rerum, ut omnia facta causas superarent. Plures erant propter quas non occideret, nam erat occidendi, quod inimicus est: non occidendi, quod frater est: non occidendi, quod periclitaturus: non occidendi, quod ipsa per se innocentia satis justas rationes habeat. Ergo non continuo sequitur; ut si quis odio aliquo concitatus est adversus alium, hunc etiam ferro extincturus sit, an vero innocenter inimicitias geri vel inter alienos, vel inter extrarios fas non est? Quotidianis jurgiis forum strepere, assiduas lites videmus: quis non dies convitia, quis non maledicta affert? Scelus ex natura mentis oritur. Huic vero etiam ad causas metuendi sceleris, accessit, quod jurgium ei cum fratre palam fuerat. Cauta sunt hujusmodi scelera & circumspecta. Neque enim est quisquam tam perditus, tam inutilis sibi, ut non ista committat proposito negandi. Et mehercule quam hoc ipsum repugnat quod ab accusatore pro potentissimo ponitur, quod in cubiculo suo occisus est, quod in lecto suo? Nihil minus commisisset percussurus, quam ut hoc ei objiceretur. Latrones longe à receptaculis suis spoliant. Ferarum quarundam dicitur hæc esse natura, ut procul à cubilibus rapiant. Fratrem discordem in domo, in cubiculo occidit, ut qui neget? Sed ne apud ipsum quidem accusatorem hæ causæ

satis

supra decl. 321. *Discordes, inquit, fuistis. Nondum rationem hujus criminis reddo: illud interim testor, hunc bonum amicum utriusque maledicere. Idem.*

1 *Ut qui neget.] Herodius: ut nihil negat. Idem sensus in altero exquisitiore*

genere loquendi. Sic Livius lib. 40. *Venerina, gladios, voluit abam in animo, ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* lib. 44. *Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus?* Idem.

fatis valuerunt. Neque enim servi torquendi ratio erat, si fecisse filium existimarem. Desinite ergo hoc uti argumento, & me testem citare contra eum, qui defenditur. Servum torfi: quis nescit hoc accidere nihil indicanti? servum torfi cubicularium ejus qui occisus est. Nihil in servo suspicatus sum alterius filii. Nec potest mihi objici negligentia quæstionis: quæsi enim. Nec in hac diligentia, suspicio adversus filium alia: ipse demum qui erat percussus, quæsi. Quid ergo, inquit, in tormentis confessus est? Dura est conditio interrogationis hujus, cum id quæritur, quod si respondeas, non creditur. Vis enim accusator voce mea stari? vis credere iudices, quicquid respondero? Das etiam mihi fingendi libertatem: propter hoc ipsum perdam necesse est fidem, quod mihi dicere licet quicquid voluero. In alia, inquam, parte filio meo conferam, si qua potero: advocatus pro testimonio mihi remittet. At nec siquidem filio indicasti. Qui hoc colligis noluisse me dicere quod contra ipsum erat? quæ ratio tacendi fuit? si filium meum fecisse credebam, quæ ratio tacendi apud ipsum? nam si ve irascor, vindicari possum hac voce, quam contra illum habeo: si ve imputare indulgentiam volo, plus illi præstitero, si scierit se fecisse. Cur ergo non respondi? jam videor iudicibus reddidisse rationem. Sic enim causam agebam, Non respondeo filio nimium curioso: quid est enim utique, cur indicare necesse sit? Non respondeo nunc, quoniam sic instat, adjiciebam huic nihil respondeo, quoniam nihil certi scio: non respondeo, quoniam non credo aliquid dicenti: non respondeo, quoniam adhuc quæro: non respondeo, quoniam hoc inquisitioni meæ non expedit: non respondeo quoniam illum ut interrogarem torfi. An vero parum justas sæviendi causas habebam adversus cubicularium? dominum suum non defenderat, non servaverat, nesciebat quis dominum suum

1 *illum ut interrogarem torfi.*] Vet. Cod. *illum interrogatum torfi.* Pith.

suum occidisset. Sed si argumentum ex his trahimus, non est majus contra filium meum silentium, quam pro ipso quod accusavit, quod detulit. Irascor quidem huic ejus pertinaciæ: ¹ sed quandoque vindicabo, quomodo fas est, quomodo oportet. Veruntamen qua fiducia fecit, quod me non timuit offendere? Judices, inquit, cum te absolverunt dementiæ, hoc judicaverunt, à filio fratrem videri occisum. Nihil minus: nam si filius meus fratrem occidisset, patrem impie accusaret: demens eram quod respondere tam furiose poteram, quam si vivere cum eo, quem cruentas manus habere sciebam? Erit ergo adeo non damnatio ista filii mei, ut possit videri etiam absolutio. Hæc ego de causa dico ipsius. Permittetis mihi in summa parte causæ, uti etiam persona mea. Ego istum, si filium meum occidisset defenderem? qualem me patrem judicatis? asperum: & ego pro filio mentiar? mitem, indulgentem: & ego non vindicabo illum qui occisus est? inter liberos hæc una differentia est apud animum patris, quod semper majorem locum habet is, cujus miseremur. Neque hic sane meruerat ut à me nisi innocens defenderetur. Reum me detulit, sordes mihi induit, ad judicem vocavit, sentiet hoc quale sit, cum testamentum scribam: sentiet cum tristitia indulgentiam meam requiret. Quid est ergo? mentiri, ne iratus quidem possum: est filius contumax, est patris sui accusator? sed fratrem non occidit. Neque ego istum in ulla alia parte absolvendum puto: nec hodie veni in hoc judicium tanquam advocatus. Nihil rogabo, nihil precabor: illud tantum meæ pietatis gratia, meæ tantum conscientiæ causa faciam, ne videar istum silentio pressisse.

S E R M O.

Ne quem vestrum ducat illa species, ut videatur hic esse aliquid momenti habiturus apud judices, si miserabilem se fecerit: si

amisso

¹ Sed quandoque.] Scribe: Irascor quidem huic ejus pertinaciæ: & quandoque vindicabo. Gronovius.

amisso altero filio deprecatus fuerit pro juvene. Sunt ista in aliis causis potentiora: hic pater nisi prior securo est in hoc iudicio: mentitur pro filio: non tam illi opus est opera advocati, quam fide testis.

CCCXXIX.

Sepultura tyranni qui se occidit.

QUI TYRANNUM OCCIDERIT, IN FORO SEPELIATUR. In pestilentia responsum est tyrannum occidendum. Ipse sese occidit, petunt propinqui ut in foro sepeliatur.

DECLAMATIO.

Ingens calumnia! pudet mehercule me actionis: nunc lego negabo. Quid si ostendero eum qui civitati libertatem abstulerit, qui leges sustulerit, qui templa violaverit, qui injuriis nostris iram Deorum immortalium commoverit, tyrannicidam non fuisse? Multum alioqui effecille oratione mea videbor: interpretanda nobis legis ipsius voluntas est: quid spectaverit ille qui constituebat, diligenter (ut res est) ¹ & alte exquirendum atque eruendum. Ego mihi arbitror, iudices, pauca pro legumlatore esse dicenda, ne tam obscure hoc occulteque scripsisse videatur. An non est hoc omnibus, qui modo ad intellectum sermonis pervenire possunt, lucidum atque manifestum, eum qui legem ita composuerit, ut si qui tyrannum occidisset, in foro sepeliretur, locutum de duobus? non intelligit aliquis alium esse eum qui occidat, alium qui occidatur? Argumentis scilicet agendum est, & in exemplum afferendæ aliæ quoque leges. Dicam nunc ego, QUI PULSAVERIT ALIQUEM, INJURIARUM TENEATUR. Nemo tamen tenebitur qui se ipse pulsaverit: nam illud quidem ridiculum (ut opinor) omnibus vobis futurum est, si in exemplum proximam similitudinem adduxero, ac negavero teneri lege ulla eum, qui se occiderit. Est porro hoc

¹ Ut alte exquirendum atque eruen- | post, si ad Deos existimemus pertinere pro-
dum.] Vet. cod. erudiendum, & paulo | mia. Pith.